



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LVI. Quare Domino Jesu, ubi cruci affixus est, facies atro velo tecta, & velata fuerit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO LVI.
 Quare Domino Jesu, ubi cruci affixus est,
 facies atro velo tecta, & velata fuerit?

Abscondam faciem meam ab eis. Deut. 32. 20.

I.

QUòd olim nocentibus ac malefactoribus, cùm in crucem agerentur, dirisque in ligno affigerentur clavis, facies atro obvelata velo fuerit, ex Scriptura & Sanctis Patribus liquidò constat. Morem hunc testatur dira illa jussio & feralis sententia, prout habet Livius & Cicero, & ex eis Cornelius:

Lictor, colliga manus, caput obnubito, verberato, infelici arbori suspendito.

Aman primum Regis Assueri præpotentem ministrum in mentem revocemus, cùm enim à justitiæ ministris ad crucem à convivio raperetur, facies illius atro velamine contexta est: *Sstatim operuerunt faciem ejus, dixitque Harbona unus de Eunuchis, qui stabant in ministerio Regis: En lignum quod paraverat Mardochoas, qui locutus est pro Rege, stat in domo Aman, habens altitudinem quinquaginta cubitos, cui dixit Rex: Appendite eum: Suspendus est itaque Aman in patibulo.* Ecce olim reis mortis, & condemnatis ad patibulum facies velata fuit, quod etiamnum fit reis capite plectendis, quibus velantur oculi, ne cernant fulminantem gladium in suam vibrari cervicem.

Marc. 14. 67.
 Luc. 22. 63
 Quares. to. 2.
 cap. 4.

Sic & Christo Salvatori nostro, cùm in monte Calvario, supplicii loco cruci affixus est, caput velatum fuit; si enim priùs impii deicidæ Christo in foro Caiphæ velabant faciem ejus: *Et ceperunt quidam conspuere in eum, & velare faciem ejus; Et iterum: Velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus.* Ita, ait Quaresmius, & alii authores probatissimi, Christo in acerbissima crucifixione facies aliquo velamine obnubilata est; in quem finem Ecclesia sancta Catholica in Dominica Passionis in templo, aliquo velo operire solet Crucifixi imagines, quas non nisi in die Parasceves post crucifixionem & mortem Redemptoris discoperit,

rit, eumque cuncto populo Christiano ad spectandum & adorandum proponit.

2. Vide hic quomodo benignus Dominus peccatum Protoparentum nostrorum luere voluerit; Adam enim & Eva primò peccarunt oculis & ore, aspiciendo & comedendo pomum vetitum: Christus ut hoc expiaret, passus est velari sibi os & oculos, non à scurris tantum, qui in atrio Pontificis illi protervè insultarunt: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Sed etiam à Romanis militibus, qui ipsum crucifixerunt; dum enim publicè & coram omni populo in cruce jam erecta, ac in scrobe firmata, prout alibi explicavimus, ipsi stantes super pagma & scalas, Christum quatuor clavibus fatali ligno affixerunt, interim pro more Romano divinissimam faciem ejus obsoleto velamine obnubilarunt; per quod Christus velatus significare voluit se abscondere faciem à Judæis, illòsque fide & cognitione Dei privandos & excœcandos: *Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum, generatio enim perversa est, & infideles filii.* Deut. 32. 29

3. Moyses legislator veteris legis, & typus Christi descendens cum virga sua & decalogo de monte Sinai, ex consortio divini colloquii radiantem vultum suum velo occultavit: *Posuit velamen super faciem suam.* Exod. 34. 33. Christus legislator novæ legis ascendens cum virga crucis in montem Golgothæum, ubi in conspectu totius populi in ea affixus est, pariter velamine faciem suam in ipso actu crucifixionis occultari voluit: *Et est creditu facile, ait Fornerus, velum hoc fuisse abjectissimum, & omnium pedibus contritum, quò major ex ejus contuitu irrisio sequeretur.* Forner. in Paradiso Malor. Punicor. O bone JESU! quid non pro salute nostra fecisti, ac passus es? Ah quot sunt etiamnum Christiani, & utinam non Orthodoxi, qui sacratissimam faciem tuam de novo obvolvunt, & involvunt velo, dum tam liberè peccant, & gravissimis te DEUM & Hominem offendunt sceleribus, & sic secundum mentem Apostoli te de novo crucifigunt? O miseri! quid agitis? *An qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.* Psal. 93. 9.

4. David in exilio suo, & à facie Absolonis profugus, nudis pedibus, flens, & aperto capite clivum olivarum ascendit: *Porro David ascendebat clivum olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & aperto capite; sed omnis populus, qui erat cum eo, aperto capite ascendebat plorans.* 2. Reg. 15. 30. Ecce quid possit exemplum Superiorum, dum Davidem mox subditi secuti sunt, & caput suum in illo luctu tegebant. Solebat aliàs David nudo capite incedere quasi liber & expeditus, in luctu verò caput operiebat, & tegebat, quod & subditi fecerunt. Observa hic miram Davidis humilitatem, pœnitentiam & patientiam, quâ plorans, & tecto capite

lugens, montem ascendit, ut esset typus Christi, qui in eodem monte Oliveti Patrem orans cum lacrymis, & sudans sanguinem, inchoavit passionem, & redemptionem nostram, in clivo Calvario, ubi utroque in monte confusio & cruor cooperuit faciem ejus, tandem complevit:

Deut. 32. 26.

Abcondam faciem meam ab eis, quia magna fuit velut mare contritio ejus,

Homilia 41
de Pass.

& dolor immensus; ac praesertim dum manus ac pedes ejus dirissimis terebrati sunt clavis. Et arbitratur Joannes Lanspergius, quod manus Domini 26. malleorum ictibus, pedes vero 36. ictibus fatali crucis ligno fuerint affixi. O peccatrix anima! quid tuo amantissimo poteris rependere Salvatori, qui pro tua salute tot contumeliis fuit affectus, tot doloribus pressus, tot sauciatus vulneribus? Ecce Dominus tuus & DEUS tuus suspensus est in patibulo, & tu tuam dabis operam voluptati? an existimas quod hoc atro tectus velamine te non videat? Ah falleris: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem.*

Eccli. 23. 28

5. S. Paulus cum Athenas pervenisset, in Areopago singula illius civitatis altaria & simulacra falorum deorum perlustravit, inter quas aras unam reperit, cui titulus inscriptus erat: *Ignoto Deo.* Quares hic prudens Lector, quare Athenienses hoc altare Deo ignoto dedicaverint? Et quis hic Deus erat ignotus?

Acor. 17. 23

6. Lyranus & alii, causam struendi hanc aram ignoto Deo fuisse Eclypsim Solis, quae accidit in passione & morte Christi crucifixi, quam ubi vidit Dionysius Philosophus cum Apolophane doctissimo pariter Philosopho, exclamarunt: *Aut Auctor natura patitur, aut mundi machina dissolvetur.* Ex quibus patet, quod Athenienses licet ignorantes, jam tunc sub velamento Christum & hunc crucifixum coluerint, & adoraverint, quem exinde D. Paulus liberè illis praedicavit: *Quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum &c.* S. Joannes Chrysostramus & Oecumenius addunt, quod Athenienses huic ignoto Deo in peste tunc grassante sacrificaverint: *Cumque ipsi sacrificassent, statim curati sunt: Hunc ergo Christum JESUM esse, Deum omnium Paulus annuntiavit.*

Cornel. hic in
Acta Ap.

7. O bone JESU! tu reverà ignotus DEUS eras, pendens inter latrones in cruce: *Verè tu es DEUS absconditus; DEUS Israël Salvator; & Vates Regius: Qui posuit tenebras latibulum suum.* Proinde apud Isaiam Seraphini velatis oculis illi acclamabant: *Sanctus, sanctus, sanctus.* Et hic DEUS in cruce? O caeli, o terra; O Oriens & Occidens, o Meridies & Septemtrio obstupescite. Ecce post vitam tam innocenter transactam, post tot patrata miracula, post innumera in miseros mortales merita, in ipso aetatis suae flore creator ac Redemptor tuus, benefactorum omnium maximus, exhaustis viribus & toto corpore saucius

Isa. 45. 15.

Psal. 17. 12.

Isa. 6. 2.

8. O bone JESU! tu reverà ignotus DEUS eras, pendens inter latrones in cruce: *Verè tu es DEUS absconditus; DEUS Israël Salvator; & Vates Regius: Qui posuit tenebras latibulum suum.* Proinde apud Isaiam Seraphini velatis oculis illi acclamabant: *Sanctus, sanctus, sanctus.* Et hic DEUS in cruce? O caeli, o terra; O Oriens & Occidens, o Meridies & Septemtrio obstupescite. Ecce post vitam tam innocenter transactam, post tot patrata miracula, post innumera in miseros mortales merita, in ipso aetatis suae flore creator ac Redemptor tuus, benefactorum omnium maximus, exhaustis viribus & toto corpore saucius

Cur Crucifixo facies velata?

cuius in conspectu infinitæ multitudinis pendet in patibulo, & quidem velato capite: *Velaverunt eum.* Luc. 22. 63.

O Domine JESU! ô Amor crucifixe! cum bona veniã tua accedo ad te, imò prostratus in terra, amobus pedibus adrepto ad te ego peccatorum miserrimus, ut divinam faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere, per transfennam tantùm aperiã, & confiderem: *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Psal. 79. 4.

Ah quid video remoto hoc velamine? ah quid video? Hæccinè est illa facies, quam discipuli in monte Thaboræ, ut solem radiantem conspiciati sunt: *Resplenduit facies ejus sicut sol?* Hæccinè est illa facies, quam quondam Moyse videre tantoperè desideravit: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam?* Hæccinè est illa facies, quam Reges ac Principes: Patriarchæ & Prophetæ volebant videre, & non poterant: *Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & justii cupierunt videre qua videris, & non potuerunt, & audire qua auditis, & non audierunt.* Hæccine inquam, est illa facies? Heu, heu, heu! quàm sordidis nunc inquinata est spotis, quàm duris onerata colaphis, quàm cruentis redimita spinis? Oculi natant in sanguine, ita dolorosissima Virgo & Mater: *Filius meus cum duceretur quasi latro, extersit sanguinem ab oculis suis.* O afflictißima Virgo! habes nunc Filium tuum non ampliùs capite velatum, sed publicè in cruce omnibus tormentis expositum. O Revel. S. Birg. lib. 2. c. 10.

Domina! ne avertas faciem tuam à nobis, sed impetra nobis gratiam &c.



CONSIDERATIO LVII.

Cur Christus Dominus in erecta cruce, cœlum inter & terram medius mori voluerit?

Erit vita tua quasi pendens ante te. Deut. 28. 66.

1.

Hunc Scripturæ textum: *Erit vita tua quasi pendens ante te*, explicant SS. Patres de Christo JESU crucifixo, erat enim Christus ante oculos Judæorum quasi vita pendens in cruce, ita S. Leo serm. 8. de passione. *Quasi dicat: Christus est vita tua, ô Judæ, qui à te visus*